

ratio istorum est quia tunc conjuges sunt habiles ad matrimonium, cum supponatur jam ablatum impedimentum per dispensationem, adeoque si mutuo consentiant, habetur (dicunt ipsi) id quod requirit essentia matrimonii. Nec videtur conditio necessaria ut conjux inscius certioretur de prioris consensu nullitate, sed potius videtur simplex instructio. Alias, si id necessarium esset, sæpissime dictæ dispensationes suo valore frustrarentur, cum ut plurimum pars inscia certiorari non possit absque gravi partis conscientie periculo. Sic Vincentius, de Justis, loc. cit., lib. 1, c. 8, n. 181, cum Reginald., Trullench, Bonac. et aliis ibi allegatis, Sotus, Rodriq., Henriq., et alii, apud Sporer de Matrim. c. 2, sect. 2, n. 459; Castropal. l. c.; Bossium l. c., n. 37, et apud La Croix loc. c., n. 814, qui dicit Lessium, Gobat, aliosque committere admittere hanc absentiam in casu extremæ necessitatis: v. g. si pars conscia timeat aliam partem dissensuram, indeque oriri gravissima mala sibi, aut proli, perpetuas inimicitias, gravissima scandala, et mortem, quæ mala nequeant aliter evitari quam omitendo hujusmodi certificationem partis insciæ. Tunc enim (dicunt ipsi) dicta necessitas videtur salvare reverentiam sacramenti, ideoque illam non videtur comprehendere damnatio Innoc. XI, in cit. 1 propositione. Hæc ille.

(22. Sed cum verior et tutior sit nostra sententia asserens ad revalidandum matrimonium requiri quod pars inscia de nullitate certioretur aliquo modo, vel formaliter, et absolute, vel saltem equivalenter, traditur hic quidam modus qui inservire potest ad sufficienter insinuandam parti insciæ nullitatem matrimonii, et ad evitanda mala quæ inde oriri possent. Et est quod pars conscia de nullitate matrimonii, nacta commodam occasionem discurrendi, sive per se, sive per alium, de præstantia matrimonii, de gratis sacramentalibus et bonis quæ inde conjugatis obveniunt, deque pluribus impedimentis occultis, et variis causis ob quas matrimonium potest esse nullum, etiam inter conjuges in optima fide existentes, et ob id privari dictis gratis et bonis, partem insciam de nullitate, sic caute et prudenter disponat, ut interne consentiat ad novum matrimonium conditionale; ita quod, si ex aliqua causa matrimonium esset nullum, velit nunc, sicut ipsa, matrimonium vere contrahere, ne fortasse tantis fraudulentis sacramentalibus gratis ac bonis. Quod facillime eveniet, si conjux conscius ostendat conjugi insciæ magna amicitie conjugalis signa, dicatque: « Si nullum fuit matrimonium nostrum, hic et nunc accipio te in meam uxorem, quasi nunquam accepissem, » quia tunc statim respondebit conjux inscia nullitatis: « Et ego idem facio, seu hic, et nunc etiam ego accipio te in meum maritum, quasi nunquam accepissem, » aut quid simile. In tali enim casu, licet ita consentiens non habet cognitionem formalem, habet tamen cognitionem æquivalentem de nullitate, hoc ipso, quod facta nullitatis mentione, et memoria forsitan

existentis, expresse consentiat, vereque de novo velit matrimonium contrahere, et de præsentis contrahat, si forsitan prius matrimonium invalidum fuerit aut sit, quod vere sufficit ad revalidandum dictum matrimonium; cum notitia seu cognitio nullitatis prioris matrimonii præcise ideo requiratur ut novus consensus partis insciæ non referatur ad prius matrimonium, quod putat validum, sed vere detur ad novum de præsentis contrahendum. Qui consensus vere de præsentis ad novum contrahendum matrimonium datur per supradictum modum hoc ipso quod nullitatis forsitan existentis memor expresse dicat: « Si nullum fuit matrimonium nostrum, hic et nunc accipio te, etc. » aut quid simile. Nec refert quod dictus consensus detur sub conditione, quia consensus datus sub conditione de præsentis vel præterito æque valet ac consensus absolutus, si conditio est vera, ut in nostro casu; l. *Cum ad præsens* 37, ff. De rebus creditis, etc., § *Conditiones* 6. Instit. de verbor. oblig. Sic Sporer de Matr., c. 2, sect. 2, n. 459, id pro certo habens cum Henrinx, de Matr. disp. 6, q. 3, n. 33; Sanchez., lib. II, disp. 36, n. 5; Gobat in Quinar., tract. 9, c. 37, a n. 32; Bosco, de imped. Matr., disp. 12, sect. 14, concl. 2; Henno, tom. II, de Matr. disp. 3, q. 4, concl. 4, vers. *Respondetur, Convocato*; Reiffenstuel loc. cit., n. 597 et 604, et alii passim.

(23. Alii ab aliis adducuntur modi pro revalidandis similibus matrimoniis, qui brevitate gratia videndi relinquuntur apud ipsos, et signanter apud Sanchez, Sporer, Reiffenstuel, Castropal., La Croix loc. cit. Solum hic advertendo quod in omnibus semper requiritur quod consensus pro novo matrimonio debeat præstari de præsentis, et in præsentis dicendo, v. g.: « Si matrimonium nostrum esset nullum, nunc de novo tecum contraho, » et quid simile: nec sufficit consensus præstitus in præterito imperfecto dicendo: « Si matrimonium nostrum esset nullum, vellem tecum contrahere » quia hic *vellem* non importat actualem consensum de præsentis requisitum pro essentia matrimonii, ut recte advertunt Sanchez., lib. II, disp. 36, n. 6; Reiffenstuel loc. c., n. 604, et alii communiter.

(24. Talis revalidatio matrimonii nulli ob impedimentum occultum, quocumque modo fiat, non est necesse quod fiat coram parcho et testibus. Sic enim clare habetur ex formula dispensationis sacræ Pœnitentiariæ, quæ mandat secreto et nullis adhibitis testibus de novo contrahi matrimonium, et sic expresse declarasse S. Pium V refert Navarr. in Summa, cap. 22, num. 70; Reiffenst. loc. cit., num. 612; Pontius de Matr., lib. v, cap. 6, num. 5; Pignatell., tom. VIII, cons. 27; Tambur. loc. cit., § 3; Cardenas in 2 Crisi, disp. 2, n. 667; La Croix loc. cit., n. 815; Felix Potest. loc. cit., num. 815: idem, loco citato, n. 4248, et alii, testantes etiam sic declarasse sacr. congr. Card. et Rotam Romanam. Et declarationes quæ in contrarium possent afferri intelligendæ sunt in casibus ubi impedimenta sunt publica, ut recte explicat Pignatell. loc. cit., et alii, ac

colligitur ex decreto sacr. congr. Conc. quæ, 25 Maii 1657, censuit hujusmodi matrimonia esse nulla, sed prævia dispensatione Sedis Apost. esse renovanda, servata forma concilii Trid. *Dummodo impedimenta sint publica*. Sic apud Pignatell. loc. cit., num. 5. Et ratio nostræ conclusionis est, quia, cum dictum matrimonium fuerit publice contractum in facie Ecclesiæ coram parcho et testibus, cessant inconvenientia, scandala, ac mala, ob quæ evitanda Tridentinum sess. 24, de Reform., cap. 1, præscripsit præsentiam parochi et testium esse adhibendam, adeoque, etc. Sic Pignatell., Navarr., Pontius, Cardenas, Reiffenstuel, La Croix loc. cit., cum innumeris aliis apud ipsos, quibus accedit praxis.

(25. Undecima clausula: « Matrimonium eum eadem, et uterque inter se de novo secrete ad evitanda scandala, » aperte declarat posse dictum matrimonium de novo contrahi sine parcho et testibus, ut dictum est n. antec.

(26. Duodecima clausula: « Prolem susceptam, si qua sit, et suscipiendam exinde legitimam decernendo in foro conscientie, et in ipso actu sacramentalis confessionis tantum, et non aliter, neque ullo alio modo: ita quod hujusmodi absolutio et dispensatio latori in foro judiciario nullatenus suffragentur, » de se clara est, et manifeste demonstrat quod sacra Pœnitentiaria absolvit, dispensat, et legitimat in solis casibus occultis, et pro solo foro interno, et nullatenus pro foro externo, si aliquando impedimentum evaderet manifestum: unde tam dispensatio quam prolis legitimatio necessario fieri debet pro solo foro interno in ipso actu sacramentalis confessionis, alias si fiat extra ipsam, erit invalida, etiam pro foro interno; juxta dicta supra num. 16, cum sit nimis clara dicta clausula, quæ expresse pro forma præscribitur.

(27. Tertiadecima clausula: « Nullis super his testibus adhibitis, aut litteris datis, seu processibus confectis, » mandat quod pro dispensatione facienda seu facta nulli adhibeantur testes, nec de ea facta confessarius det litteras testimoniales, aut conficiat processus, nec ipsemet oretenus desuper testetur, sed circa eam in foro externo se habeat, tanquam penitus nascens, cum fuerit facta præcise sub actu sacramentalis confessionis.

(28. Quartadecima clausula: « Sed præsentibus laniatis, quas, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, laniare tenearis, » præcipit quod sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, et consequenter sub gravi peccato, teneatur confessarius litteras dispensationis taliter lacerare, corrumpere, comburere, etc., ut nullatenus possint notitiam parere et inservire pro foro externo.

(29. Quintadecima clausula: « Neque eas latori restituas, » prohibet sub gravi peccato ne confessarius dictas litteras jam exsecutas iterum pœnitenti restituat: quamvis tamen, si nondum fuerint exsecutæ, vel quia ex aliqua causa ipse exsequi recuset, vel quia

pœnitens alium promptiorem et benigniorem jam elegit ad id confessarium, ipsas iterum pœnitenti tradere teneatur. Pœnitens enim, si unus confessarius electus exsequi dictas litteras recuset, vel ob nimium rigorem sibi displiceat, potest variare, et alium benignioris opinionis eligere, ut patet ex dictis sub verb. *Exsecutor litterarum apostolicarum*, n. 47.

(30. Sextadecima clausula: « Quod si restitueris, nihil eis præsentis litteræ suffragentur, » indicat quod etiamsi confessarius illas, non obstante tali gravi prohibitione, pœnitenti iterum traderet, nihil prorsus ei pro foro externo suffragentur, remanente tamen in suo esse, valore, et effectu pro foro interno, pro quo legitima jam fuit facta executio.

(31. Clausula *Gratis ubique*, quæ a tergo solet inscribi, præscribit quod nec officiales penitentiariæ, nec exsecutores litterarum ipsius possint aliquid exigere vel acceptare, etiam sponte oblatum, nec etiam sub prætextu incommodi et laboris: Gobat in Quinar., tract. § cap. 37, num. 279; Lezana verb. *Litteræ Apostolicæ*, num. 34; Reiffenstuel. loc. cit., num. 487, et alii communiter. Post executam vero dispensationem posse recipi munera gratis oblata, tenent Sanchez., lib. VIII, disp. 35, a num. 9; Guttierrez, de Matr., cap. 128, n. 9; Filliuc., tom. I, tract. 10, part. II, cap. 10, n. 365; Tullench., tom. III, lib. 7, cap. 10, dub. 11, n. 4; Reiffenst. loc. cit., num. 321 et 487; Vincentius, de Justis, lib. 1, cap. 6, n. 235, et alii; eo quod talis prohibitio videatur respicere solum tempus ante dispensationem, ne officiales aut exsecutores, muneribus excecati, munus suum minus recte exsequantur. Cavendum est tamen ne ante ipsam dispensationem fiat aliqua promissio, vel verbis expressis, vel signis, aut verbis æquipollentibus dandi aliquid post factam dispensationem, quia tunc per ipsam promissionem aut datam intentionem violaretur præceptum ac si illud fuisset effective traditum et acceptum ante dispensationem, cum sic officiales aut exsecutores possent corrumpi per dictam promissionem, ac per realem et effectivam largitionem ac receptionem.

(32. Adducta et satis explicata formula litterarum dispensationis super impedimento occulto affinitatis post contractum matrimonium, quæ, variatis variandis, inservire potest pro aliis consimilibus occultis impedimentis, adducitur hic formula absolutio-nis dandæ, et dispensationis exsequendæ super dicto impedimento occulto affinitatis ex copula illicita proveniente, ad remanendum in matrimonio contracto. Postquam igitur dixerit confessarius: « Absolvo te a peccatis tuis, etc., debet addere: Insuper auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata dispenso tecum super impedimento primi vel secundi affinitatis gradus ex copula illicita quam cum sorore, matre, vel, etc., tuæ putatæ conjugis habuisti, ita ut, illo non obstante, renovato consensu cum præfata conjuge, matrimonium cum illa contrahere,

consummare, et in eo remanere licite possis et valeas: In nomine Patris, et Filii, etc. Item eadem auctoritate Apostolica, prolem, si quam suscepisti et susceperis, legitimam fere decerno et declaro: In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, » etc. Quæ item formula, variatis variandis, potest etiam inservire pro aliis consimilibus casibus occultis.

(33. Hic pro complemento advertendum est quod Confessarius potest absolvere et dispensare penitentem, quamvis ante executionem dispensationis obtentæ iterum copulam illicitam habuerit cum eadem sorore feminæ quam ducere intendit, quia repetita illa copula non inducit novum impedimentum affinitatis, sed manet illud unicum, quod prius contractum erat, sicuti antequam obtinisset dictam dispensationem decies: v. g. illam eandem sororem cognovisset, unicum esset impedimentum, nec in supplicatione opus fuisset exprimere quoties illam cognovisset, cum affinitas non per diversas copulas cum eadem persona, sed solum per diversas personas multiplicetur. Sanch., lib. viii, disp. 24, num. 38; Pontius, lib. viii, cap. 17, §5, num. 30; La Croix, lib. vi, part. iii,

## INSTRUCTIO

PRO EXAMINE ILLORUM TESTIUM QUI INDUCUNTUR PRO CONTRAHENDIS MATRIMONIIS, TAM IN CURIA EMINENTISSIMI D. CARDIN. URBIS VICARII QUAM IN ALIIS CURIIS CÆTERORUM ORDINARIORUM.

(1. In primis, testis moneatur de gravitate iuramenti, in hoc præsertim negotio pertimescendi in quo divina simul et humana majestas læditur, ob rei de qua tractatur importantiam et gravitatem, quod imminet poena tritemium et fustigationis deponenti falsum.

(2. Interrogetur de nomine et cognomine, patria, ætate, exercitio, et habitatione.

(3. An sit civis vel exterus, et quatenus sit exterus, quanto tempore est in loco in quo testis ipse deponit.

(4. An ad examen accesserit sponte, vel requisitus. Si dixerit accessisse sponte a nemine requisitum, dimittatur, quia præsumitur mendax; si vero dixerit accessisse requisitus, interrogetur a quo vel a quibus, ubi, quando, quomodo, coram quibus, et quoties fuerit requisitus, et an sciat adesse aliquid impedimentum inter contrahere volentes.

(5. Interrogetur an sibi pro hoc testimonio ferendo fuerit aliquid datum, promissum, remissum, vel oblatum a contrahere volentibus, vel ab alio, ipsorum nomine.

(6. Interrogetur an cognoscat ipsos contrahere volentes, et a quanto tempore, in quo loco, qua occasione, et cujus qualitatis vel conditionis existant. Si responderit negative, testis dimittatur; si vero affirmative,

(7. Interrogetur an contrahere volentes sint cives, vel exteri. Si responderit esse exteros, supersedeatur in licentia contrahendi, donec per litteras ordinarii ipsorum contrahere volentium doceatur de eorum

num. 990; Vincentius, de Justis, lib. i, cap. 4, n. 161 et seq., cum aliis ibi citatis. (34. Secus autem esset dicendum si post obtentam ipsam dispensationem nondum executam, dictus penitens iterum copulam haberet, non cum eadem dicta sorore, sed cum alia persona diversa intra secundum gradum conjuncta feminæ quam ducere intendit, quia tunc insurgeret novum impedimentum, et nova opus esset dispensatione, cum dispensatio non extendatur ad alias affinitates seu ad alios casus postea exortos: Ludovisius dec. 34, n. 2; de Justis, loc. cit., num. 163 et 164, et alii citati. Unde denuo deberet in tali casu recurri ad sacram Penitentiarum et exponi integre factum.

(35. Dispensatio concessa, seu gratia facta a sacra Penitentiarum seu majori penitentiarum, non expirat morte Pontificis, etiam re integra. Ejus enim auctoritas non expirat morte Papæ. Et si major penitentiarum alique penitentiarum, Sede Romana vacante, moriantur, alii subrogantur a collegio cardin. Clementin. de electione, c. Ne Romani, § Eo tamen, Pius IV, Constit. 33, incip. In sublimi; S. Pius V, Constit. 83, incip. In omnibus.

libero statu, de eo tempore quo permanserunt in sua civitate vel diocesi. Ad probandum vero eorumdem contrahere volentium statum liberum pro reliquo temporis spatio, scilicet usque ad tempus quo volunt contrahere, admittantur testes idonei, qui legitime et concludenter deponant statum liberum contrahere volentium, et reddant sufficientem rationem causæ eorum scientiæ, absque eo quod teneantur deferre attestaciones ordinariorum locorum in quibus, contrahere volentes moram traxerunt. Si vero responderit contrahere volentes esse cives,

(8. Interrogetur sub qua parochia hæcenus contrahere volentes habitarunt, vel habitent de præsentibus.

(9. Item, an ipse testis sciat aliquem ex prædictis contrahere volentibus quandoque habuisse uxorem, vel maritum, aut professum fuisse in aliqua religione approbata, vel suscepisse aliquem ex ordinibus sacris, subdiaconatum scilicet, diaconatum, vel presbyteratum, vel habere aliud impedimentum ex quo non possit contrahi matrimonium? Si testis responderit non habuisse uxorem, vel maritum, neque aliud impedimentum, ut supra,

(10. Interrogetur de causa scientiæ, et an sit possibile quod aliquis ex illis habuerit uxorem, vel maritum, aut aliud impedimentum, etc., et quod ipse testis nesciat. Si responderit affirmative, supersedeatur, nisi ex aliis testibus probetur concludenter non habuisse uxorem, vel maritum, neque ullum

aliud impedimentum, etc. Si vero responderit negative,

(11. Interrogetur de causa scientiæ, ex qua deinde iudex colligere poterit an testis sit danda fides. Si responderit contrahere volentes habuisse uxorem, vel maritum, sed esse mortuos,

(12. Interrogetur de loco et tempore quo sunt mortui, et quomodo ipse testis sciat fuisse conjuges, et nunc esse mortuos. Et si responderit mortuos fuisse in aliquo hospitali, vel vidisse sepeliri in certa Ecclesia, vel occasione militiæ sepultos fuisse a militibus, non detur licentia contrahendi, nisi prius recepto testimonio authentico a rectore hospitalis in quo prædicti decesserunt, vel rectore ecclesiæ in qua humata fuerunt eorum cadavera, vel, si fieri potest, a duce illius cohortis in qua descriptus erat miles. Si tamen hujusmodi testimonia haberi non possunt, sacra congregatio non intendit excludere alias probationes quæ de jure communi possunt admitti, dummodo sint legitime et sufficientes.

(13. Interrogetur an post mortem dicti conjugis defuncti, aliquis ex prædictis contrahere volentibus, transierit ad secunda vota. Si responderit negative,

(14. Interrogetur an esse possit quod aliquis ex aliis transierit ad secunda vota, absque eo quod ipse testis sciat. Si responderit affirmative, supersedeatur in licentia, donec producantur testes, per quos negativa coarctetur concludenter; si vero negative,

(15. Interrogetur de causa scientiæ, qua perpensa, iudex poterit judicare an sit concedenda licentia, neque.

(16. Si contrahentes sunt vagi, non procedatur ad licentiam contrahendi, nisi doceant per fides ordinariorum suorum esse liberos, et in aliis, servata forma concil. Trid. in cap. Multi, sess. 24. Fides aliaque

## INSTRUMENTA.

Vide verb. SCRIPTURÆ.

## INTENTIO.

## SUMMARIUM.

1. Intentio generatim sumpta quæ sit, et quomodo dividatur, ad n. 2. — 3. Quæ sit intentio actualis, virtualis, habitualis, ad num. 5. — 6. In quo differant inter se intentio habitualis et virtualis. — 7. Quæ sit intentio interpretativa, explicita, implicita, directa, indirecta, absoluta, conditionata, ad num. 13. — 14. Ad valide conficienda, seu ministranda sacramenta, quæ intentio sufficiat, quæ vero non, ad num. 20. — 21. Ad valorem sacramenti an sufficiat in ministro intentio ponendi materiam, et formam, vel ex joco, vel serio, et pure materialiter,

(1. Intentio generatim sumpta est actus voluntatis volentis aliquid facere vel fieri a se, vel ab alio. Est in re communis. (2. Intentio dividitur in actualem, virtuales, habituales, et interpretativas. (3. Intentio actualis est illa quam quis actu elicit et habet dum actualiter facit opus intentum, actu scilicet cogitans, et volens, seu intendens illud quod facit. (4. Intentio virtualis est

documenta quæ producuntur a partibus non admittantur, nisi sint munita sigillo et legalitate episcopi ordinarii, recognita saltem per testes qui habeant notam manum et sigillum; et attente consideretur quod fides seu testimonia bene et concludenter identificent personas de quibus agitur.

(17. Pro testibus in hac materia, recipiantur magis consanguinei quam extranei, quia præsumuntur melius informati; et cives magis quam exteri, nec admittantur homines vagi, et milites, nisi data causa et maturo consilio. Et notarius exacte describat personam testis, quem si cognoscit, utatur clausula, *mihî bene cognitus*; sin minus examen non recipiat, nisi, una cum persona testis, aliqua alia compareat cognita notario, et quæ attestetur de nomine et cognomine ipsius testis, necnon de idoneitate ejusdem ad testimonium ferendum. Et hujusmodi examinibus debet interesse in urbe, ultra notarium, officialis specialiter deputatus ab eminentiss. vicario; et extra urbem, vel vicarius episcopi, vel aliqua persona insignis et idonea ab episcopo specialiter deputata. Alias puniatur notarius arbitrio sacre congregationis, et ordinarius non permittat fieri publicationes.

(18. Ordinarii præcipiant omnibus et singulis parochis in eorum diocesis existentibus ut pro matrimoniis cum exteris contrahendis non faciant publicationes in eorum ecclesiis, nisi certiorato ordinario, a quo, vel ejus vicario generali, prius teneantur fidem authenticam reportare quod pro tali matrimonio fuerint examinati testes in eorum tribunali, qui probent statum liberum contrahere volentium, etc. Contravenientes autem severe puniantur.

Franciscus Richardus, S. Rom. et univers. Inquisit., etc.